



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Pictaven. Episcopo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

ILLVSTRI MIRAMOLINO

Regi Marrochetan. & subditis ejus, ad
veritatis notitiam pervenire, ac in ea
salubriter permanere.

Epist. 9.
Significatur in-
stitutio facta
super redem-
ptione captivo-
rum paganorū
à Christianis &
Christianorum
à paganis.

Vide supra lib. 1.
epist. 481.

Inter opera misericordiæ quæ Iesus
Christus Dominus noster fidelibus
suis in Evangelio commendavit, non mi-
nimum locum obtinet redemptio capti-
vorum. Vnde personis illis, quæ circa
talia occupantur, favorem debemus apo-
stolicum impertiri. Sanè viri quidam,
de quorum existunt numero præsentium
portitores, nuper divinitus inflammati,
regulam & ordinem invenerunt, per cu-
jus instituta tertiam partem proventuum
omnium, quos vel nunc habent, vel in
futurum poterunt obtinere, in redem-
ptionem debent expendere captivo-
rum; & ut melius valeant suum propo-
situm adimplere, cum sæpe facilius per
commutationem quam per redemptionem
de captivitate ergastulo valeant liberari,
ut paganos captivos à Christianis
redimant est concessum, quos pro
liberandis Christianis debeant commu-
tare. Ceterum quoniam opera quæ præ-
missimus & Christianis expediunt & pa-
ganis, hujusmodi vobis duximus per
apost. literas intimanda. Inspiret autem
vobis ille qui via, veritas est, & vita, ut
agnita veritate, quæ Christus est, ad eam
venire quantocyus festinetis. Datum La-
terani VIII. Idus Martij, Pont. nostri
anno II.

CAPITULO XANTONEN.

Epist. 10.
Confirmatur
institutio de
quadragenario
numero Cano-
nicorum.

Constitutionibus quæ in Ecclesiis
factæ, canonicis non obviant in-
stitutis, cum ab apostolica sede suæ ro-
bur confirmationis expectant, favorem
apostolicum libentius impertimur, ut
ea quæ pro ipsarum utilitatibus ordinan-
tur, inconversa maneat firmitate, &
quæ stabilita ratio comitatur, aliquorum
temeritas non infirmet. Eapropter dile-
cti in Domino filij, vestris justis postu-
lationibus grato concurrentes assensu,
institutionem quam de quadragenario
Canonicorum numero cum assensu ve-
nerab. fratris nostri Episcopi vestri, con-
sentiente & assistente bonæ memoriæ
W. Archiepiscopo Burdegalensi, & piæ
recordationis Henrico quondam Alba-
nensi Episcopo tunc apostolicæ sedis Le-
gato approbante idipsum, in Ecclesia
vestra fecistis, sicut rationabiliter facta

est, auctoritate apostolica confirmamus,
& præsentis scripti pagina communi-
mus, auctoritate apostolica districtius in-
hibentes ne aliquis ad receptionem ali-
cujus ultra numerum constitutum qua-
libet vos temeritate, salvo in omnibus
apostolicæ sedis mandato, compellat, nisi
fortè Ecclesiæ facultates in tantum ex-
creverint, quòd earum proventus pluri-
bus sufficere dignoscantur. Decernimus
ergo &c. nostræ confirmationis &c. Da-
tum Laterani VI. Kal. Aprilis, pontifica-
tus nostri anno secundo.

PICTAVEN. EPISCOPO.

Proposita nobis dilectorum filio-
rum Abbatis & Conventus sancti
Rufi querimonia demonstravit quòd A.
Iordani eorum Canonicus habitu regu-
larium Canonicorum rejecto, sine Ab-
batis sui licentia in monasterio Mallea-
cen. suscepit ordinem & regulam mona-
chorum. Cum igitur juxta canonicas
sanctiones religiosi Canonici non cre-
dantur à consortio sanctorum monacho-
rum sejuncti, fraternitati tuæ per aposto-
lica scripta mandamus quatenus si tibi
constiterit de præmissis, jamdictum Ca-
nonicum ad Ecclesiam redire priorem,
monitione præmissa, per censuram eccle-
siasticam appellatione remota compellas,
ubi & memorialem cucullam eum
deferre facias, & ultimum in choro ma-
nere; ut exemplo ejus alij similia non
attendant. Datum Laterani XIII. Kal-
end. Aprilis, pontificatus nostri anno
secundo.

MARTINO PRIORI
& fratribus Camaldulen.

Postulastis nuper à bonis ut heremo
Camaldulensi & Ecclesiis aliis ad ip-
sam spectantibus super decimis & posses-
sionibus, quas per annos XL. pacificè
possederunt, paterna vellemus in poste-
rum sollicitudine providere, quatenus
nullius temeritas possit possessionem eo-
rum quæ præmissimus impedire. Nos igitur
volentes justis petitionibus vestris fa-
vorem apostolicum impertiri, districtius
auctoritate præsentium inhibemus, ne
vos vel Ecclesias vestras super illis quæ
bona fide per annos XL. continuè posse-
distis, aliquis præsumat de cetero mole-
stare. Nulli ergo &c. nostræ prohibitionis
&c. Datum Laterani VI. Idus Martij,
pontificatus nostri anno secundo.

Epist. 11.
Ne monachis
liceat sine Ab-
batis licentia in
alium ordinem
transire.

Epist. 12.
Quadragenario
annorum polo
sessio valet.